



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio trigesimaseptima [i.e. trigesimaprima].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

formam, non secundum materiam. Omnia enim generalia comunicant in materia, nec tamen sunt similia illa similitudine de qua loquimur, semen autem secundum istos ponitur pertinere ad substantiam patris, vel parentis & proli solum materialiter tanquam illud ex quo formatur corpus proli, ergo secundum ipsum non attenditur assimilatio inter parentem & prolem. Et si dicatur quod assimilatio licet non possit esse ratione materiae remotae, potest tamen esse ratione materiae propinqua qualis materia est semen. Dicendum quod ubi tota substantia rei est materia sicut in artificialibus assimilatio potest esse ratione materiae, sed in naturalibus ubi praeter materiam qualitercunque acceptam ad substantiam rei pertinet forma, materia parum aut nihil facit ad assimilationem. Ex hoc ergo quod semen ex quo formaretur corpus proli desideretur de substantia patris non possit reddi sufficienter causa assimilationis parentis ad prolem, sed tota fumenda est ex virtute formatiua quae est in femine ex anima patris quantum semen non decidatur de substantia eius.

8 Dicendum ergo quod semen dicitur de superfluo alimenti. Quod patet ratione & signo: ratione sic, quia si semen esset aliquid resolutum ab eo quod iam pertinet ad substantiam membrorum, aut retinet naturam eius a quo resolutum, aut non, si retinet naturam eius a quo resolutum, aut esset resolutum a determinata parte, aut a toto, si a determinata parte, tunc non haberet virtutem mouendi ad naturam totius. Si autem resoleretur a toto, & naturam eius retineret, sic semen actu esset quoddam animal paruum, & sic generatio animalis ex animali non esset, nisi per deriuationem quandam, quae manifeste sunt falsa. Si vero semen non retinet naturam eius a quo resolutum, tunc iam esset recedens a natura generantis & in via corruptionis existens, & per consequens non haberet virtutem producendi simile aliquid generanti.

9 Signa etiam sunt ad hoc quae ponit Philosophus lib. de generatione animalium, quorum vnum est, quia nihil dissolutum a corpore habet determinatum locum in ipso, sed vagatur per corpus, sicut apparet de sudore: semen autem habet determinatum locum in corpore, sicut & alii superfluitates resolutae ab alimento, & quasi in eadem parte corporis, in qua sunt loca aliarum superfluitatum, ergo &c. Secundum signum est, quia semen & superfluitas alimenti consequuntur se in multitudine & paucitate: quia ubi inuenitur minus de superfluo alimenti, ibi inuenitur minus de femine. Et propter hanc causam in pueris non est semen, quia superflui nutrimenti conuertitur in augmentum. Pingues etiam homines sunt pauci feminis, quia superfluum alimenti in eis conuertitur in pinguedinem, & quaedam similia, quae inducuntur ibidem a Philosopho. Ex quibus patet quod semen non est aliquid resolutum de substantia corporis, sed de superfluo alimenti.

10 Ad primum argumentum dicendum quod ad hoc quod instrumentum recipiat virtutem principalis agentis, non requiritur vnio secundum suppositum, sed sufficit vnio per contactum, ut patet in securi mota ab artifice: hoc autem modo vnitur semen animae generantis: per virtutem enim animae nutritivam digeritur alimentum, ut assimilaretur naturae corporis: quando ergo venit ad ultimam digestionem antequam sit in membra conuersum mouetur, ut statim per virtutem animae accipiat formam cuiuslibet membri. Cum ergo per virtutem nutritivam conuersum est de alimento, sic praeparato id quod ad nutrimentum indiget, residuum quod est nutritiue resolutum ad actum generatiue: unde ex hoc accipit ut moueat materiam foetus eo motu quod mouebatur in corpore, mouebatur autem sic, ut acciperet formam cuiuslibet membri, & ideo virtutem habet formandi materiam proli in singula membra corporis.

11 Ad secundum argumentum dicendum quod generatio alicuius dicitur esse de substantia generantis non materialiter, sed formaliter, inquantum forma generantis quae est principalior pars substantiae rei, est principium quo generas principaliter generat, & ab ipsa est virtus actiua in agente instrumentali.

12 Ad tertium dicendum quod assimilatio non est propter conuenientiam in materia sed in forma, & ideo de quocunque sit alimentum siue de carnibus bouis siue porci,

quia tamen virtus quae est in femine quod est superfluum alimenti, est productiua similis formae, & hoc habet ab anima generantis, & non a natura porci vel bouis, de quibus sumptum est alimentum, assimilatur magis filius patris, quam porco vel boui.

Sententia huius distinctionis. XXXI.
in generali & speciali.

Nunc superest inuestigandum. Superius determinauit Magister de quidditate originalis peccati. Hic determinat de eius traductione. Et diuiditur in tres. Primo determinat suum intentum. Secundo ex determinatione concludit probatum. Tertio excludit quandam dubitationem contrariam. Secunda ibi, iam ostensum est. Tertia ibi, sed adhuc opponitur. Prima diuiditur in tres. Primo mouet quaestionem, & eam determinat excludendo opinionem erroneam, & declarando veritatem. Secundo mouet quandam aliam dubitationem circa praedicta & confirmat. Tertio ostendit quo modo aliqui purgati a foeditate originalis culpe peccatum transmittere possunt. Secunda ibi, hic quaeri solet. Tertia ibi, ne autem miremur. Haec est sententia lectionis in generali.

1 IN SPECIALI sic procedit. Et proponit primo inquirendo vtrum peccatum originale traducatur secundum animam, an secundum carnem: & dixerunt quidam quod secundum animam, quia animam praesumunt ex traduce. Hoc autem non est ponendum, sed magis per carnis traductionem originale peccatum inducitur. Caro enim viciosa concupiscentia concepta virtute in se maculam peccati habet, & ideo ex vnione animae ad ipsam contrahitur peccatum originale. Et ideo dicitur peccatum manere in carne virtualiter. Postea quaerit, vtrum ista infectio carnis sit culpa an poena: non enim videtur esse culpa, cum culpa non sit in subiecto irrationali, nec poena, quia inter poenales non connumeratur. Et respondet Magister quod est quaedam fomes. Postea dicit, quod sicut ex circuncis, secundum Aug. nascitur puer cum praepotio, & ex grano nudo granum cum palea, ita ex carne per baptismum munda, nascitur caro cum infectione originali. Postea dicit quod ideo nominatur originale, quia ex viciosa & libidinosa origine contrahitur. Et quia Christus talem originem non habuit, illud peccatum non traduxit. Vltimo quaerit quomodo peccatum potest esse in carne quando concipitur, cum tunc non sit mala, & respondet quod hoc ideo dicitur, quia tantum est ibi virtualiter infectio ex qua habet anima maculari. Et in hoc terminatur &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum peccatum originale traducatur per originalem carnem.

Tho. 1. 2. q. 81. ar. 1. Gand. quodl. 2. 2. 11.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, de modo traductionis originalis peccati, vtrum traducatur per originem carnis. Et videtur quod non, quia accidens non traducitur nisi traductione sui subiecti, sed caro non est subiectum originalis peccati, sed anima, ergo &c.

2 Item maior est conuenientia carnis ad animam, ex quibus fit vna natura, quam carnis ad culpam: sed anima non traducitur in homine per originem carnis, ergo multo minus culpa.

3 IN CONTRARIUM arguitur: quia secundum Apostolum ad Romanos 5. Per vnum hominem peccatum intravit in mundum. hoc autem non fuit per imitationem, quia sic intravit per demonem, ut patet per illud quod dicitur Sap. 2. Inuidia diaboli mors intravit, &c. ergo per originem ratione propagationis vnus ex altero: sed hoc modo propagatur ab homine solum secundum carnem, non secundum animam, quae est ab extrinseco per creationem, ergo &c.

4 RESPONSIO. Dicunt quidam peccatum originale tradi per traductionem carnis, hoc modo: Caro enim proli quae traducitur virtute seminis infecta est: habet enim quandam foeditatem ratione suae naturae, quae licet in femine vel carne non sit culpa, quia non sunt susceptiua culpa, anima tamen ex vnione ad carnem foeditatem contrahit ex hoc culpa, &

Magistri Durandi de Sancto Porciano

& est simile. Infectio enim quæ est in femine leprosi, non est lepra vel agritudo formaliter, sed solum virtualiter: in carne autem leprosi est verè lepra, quia caro est lepra susceptiva: sic infectio vel fœditas naturæ, non est in femine vel carne culpa, sed ibi primò habet rationem culpæ, ubi inuenitur subiectum susceptivum, sicut est anima, redundat autem à carne in animam, non per actionem carnis in ipsam, quia corpus non agit in spiritum, sed per quandam naturalem

* aliam communicationem et concomitantiam, infra.

concomitantiam quæ est inter formam & materiam: sicut enim anima comunicat corpori suas dispositiones (ut vitam & huiusmodi) sic dispositiones corporis comunicantur animæ: anima enim infusa corpori male disposito efficitur stolidia (ut patet in naturaliter faturo) & similiter est in infectione animæ ex infectione carnis.

5 Sed iste modus non videtur convenienter propter multa. Primo quia caro in homine non est caro nisi per animam rationalem, supposita quæ in homine sit tantum una forma. Prius ergo vel simul ordine naturæ est anima unita materiam, & caro est caro cum anima intrinsicè pertineat ad naturam carnis, sed quæ non est infici non potest, ergo non prius inficitur caro, & per carnem anima. Sed prius vel saltem simul tempore & natura inficitur caro & anima.

6 Et adhuc restat dubium per quid inficitur anima originali culpa. Si autem dicatur quæ caro est caro ante infusionem animæ rationalis per animam sensitivam, & ita ex carne fœda & infecta contrahitur peccatum originale in anima per quandam concomitantiam, ut dictum est. Istud non videtur, quia illa fœditas quæ ponitur in carne, vel est spiritalis vel corporalis. Non spiritalis, quia cum caro sic accepta sit quid purè corporeum, non est talis fœditatis susceptiva, nec corporalis, quia corporalis fœditas non est nisi vel per privationem alicuius convenientis secundum naturam, sicut abscisso nasi redditur faciem fœdam, vel per appositionem alicuius disconvenientis, sicut fœdatur facies appposito luto. Primum non potest dici, quia per peccatum primorum parentum nihil pertinens ad perfectionem naturæ humanæ est subtractum: iustitia enim originalis quæ toti naturæ subtracta est, fuit donum gratis collatum. Et ideo eius carentia non ponit aliquam fœditatem, sed & si talis carentia fœditas diceretur rationem pœnæ haberet: ex pœna autem non causatur culpa, sed econversò, ideo &c. Nec secundum potest dici, scilicet quod fœditas carnis fit per appositionem alicuius disconvenientis, quia privatio nihil ponit, peccatum autem privatio est, ideo &c.

7 Si autem dicatur quæ illa fœditas non est in carne formaliter, ut bene ostendunt præmissæ rationes, sed solum virtualiter. Non valet, quia aut esset in carne virtualiter, quo ad virtutem actiuam, ut scilicet talem fœditatem in animam ageret, quod esse non potest: quia materia non agit in formam, nec corpus in spiritum, ut ipsi fatentur, vel quoad virtutem passivam, & tunc solum se haberet ad recipiendum talem fœditatem, quæ recepta iam esset fœda formaliter. Modus etiam transiusionis peccati originalis quæ ponunt, scilicet per concomitantiam carnis & animæ, non est convenienter, licet enim anima quæ est actus & perfectio corporis, comunicet corpori proprietates suas, informet & perficiat materiam, tamen proprietates materiæ nunquam informant formam, sicut nec ipsa materia, nec aliquo modo redundat ad formam non educat de potentia materiæ, qualis est anima, nisi quo ad operationem, in qua comunicat cum corpore subiectivè vel obiectivè, & per hunc modum anima infusa corpori male disposito, efficitur stolidia: quia non habet debitas operationes propter indispositionem corporis. Ad ipsam autem essentiam animæ, vel ad eius potentias nulla infectio spiritalis transire potest.

8 Tenendo ergo quæ peccatum originale sit carentia iustitiæ originalis debite inesse cum debito carenti ea, quod debitum quidam vocant reatum, ut in præcedentibus dictum est, potest faciliter assignari modus translationis eius: traducitur enim translatione naturæ sic, cum nihil agat ultra suam speciem, natura deficiens à dono quæ gratis et impensum erat, non potest alteri communicare donum quo caret, & quod supra naturam ei datum fuerat siue collatum, sed solum comunicat quod ad naturam pertinet, cum carentia doni supernaturaliter à principio toti naturæ collati. Ista autem carentia quia in relatione ad peccatum

primi parentis, iusta est, reatus est. Est enim reatus iusta obligatio ad pœnam propter culpam, nec aliter traducitur nisi quia natura defectuosa traducitur ab eo qui est & non huiusmodi defectibus ex sua culpa subiecit.

9 Ad primum argumentum dicendum quæ in generatione hominis materia non traducitur, sed supponitur: nec anima secundum illud quod est absolute, sed creatur: ipsum tamen compositum traducitur, unde homo generatur ex traducendo: est enim compositum ex unione partium: unio autem principiorum essentialium hominis, est à virtute seminis, saltem dispositivè propter quod compositum traducitur, & partes compositi non quidem secundum se & absolute ut sint, sed ut unum sint, & unam faciant naturam traductam, & quia anima non est subiectum originalis peccati, ut talis reatus qualis dicitur est, nisi ut faciat unum cum corpore, vel cum materia: & hoc modo est equaliter traducta, ideo & defectus talis potest dici traductus. Per idem patet, ergo ad secundum.

10 Ad argumentum in contrarium dicendum quæ homo dicitur magis traduci secundum carnem, quæ secundum animam: quia caro dicitur compositum cui competit traductio. Item dicitur ipsum sub ratione perfectionis quæ dat animam sensitivam, quæ in aliis ab homine virtute seminis educitur de potentia materiæ, quantum & ipsa anima possit dici aliquo modo traducta, saltem dispositivè, & eius translatione peccatum originale traductum.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum miraculose formatus est ex carne hominis præexistens contraheret peccatum originale.

Thom. 1. 2. q. 81. ar. 4.

Secundo queritur, si aliquis formaretur miraculose ex humana carne, puta de digito vel pede, vtrum contraheret originale peccatum. Et videtur quod sic: quia ex massa corrupta non potest fieri nisi opus corruptum. Sed tota massa humanæ naturæ fuit in Adam corrupta, ergo quicquid formaretur ex ea quocumque modo esset corruptum.

2 Item Dam. dicit in 4. lib. quæ spiritus sanctus præuenit in virgine, de qua Christus erat absque peccato originali nascitur, purgans eam, sed illa purgatio non fuisse necessaria, nisi in materia esset aliqua fœditas, ex quo originali contraheretur. ergo in omni formato materialiter de carne humana quantumcumque formetur ex parte agentis miraculose esset peccatum originale.

3 IN CONTRARIUM est quæ dicit Aug. in 10. super Gen. ad literam, quæ descendere ab Adam secundum rationem feminalem est causa contrahendi peccatum originale: sed formatus miraculose de manu hominis vel pede non descenderet ab Adam secundum rationem feminalem, sed solum secundum corpulentam substantiam, ergo &c.

4 RESPONSIO. Dicendum quod formatus miraculose ex humana carne non contraheret peccatum originale. Quod patet sic, quia ad illud ad quod natura se habet solum passivè & nullo modo activè non potest natura aliquid transfundere, nec perfectionem nec defectum. Transfusio enim aliquam actionem importat, sed ad illum qui miraculose formaretur ex humana carne natura solum se haberet passivè & nullo modo activè, ergo ad talem non transfunderetur originalis culpa, nec à principio transfusa fuisset originalis iustitia, quis enim transfunderet Deus an natura non Deus, quia ab ipso non est culpa, nec reatus. Nec natura quia natura nihil operatur in tali prole nisi ministrando materiam ex qua nec culpa nec reatus potest in anima redundare, ut ostensum est in præcedente questione.

5 Concordat autem hoc ei quod ab omnibus conceditur, scilicet quæ iustitia originalis data fuit Adæ pro se & tota posteritate quam peccato amisit pro se & pro posteritate, ac per hoc tota posteritas peccatum originale incurrit. Sed constat quod formatus miraculose de manu vel pede non poterit ad posteritatem Adæ, talis enim non haberet patrem aut matrem in tota humana specie sicut fuit Eva, licet fuerit formata de costa Adæ, ideo &c. Per idem patet quæ si Adam peccasset & non Eva proles contraxisset peccatum originale quia patris est agere, mater vero

verò solum materiam administrat, & per consequens proles fuisse mortales & passibiles, quia sicut per vñū hominem peccatū intrauit in mundum, ita per peccatum mors ut dicitur Rom. 5. Si verò sola mulier peccasset, proles nata fuisset cum originali iustitia & per consequens cum immortalitate & impassibilitate illius status.

6 AD Primum argumentū dicendum q̄ tota massa generis humani nō fuit infecta vel corrupta in Adam formaliter, sed solum virtualiter in quantum in ipso omnes eramus ut in principio generationis actiuo quod vocat beatus Aug. fuisse in Adam secundum rationē feminale, sic autem non fuissent in Adam qui formati fuissent formata de massa corrupta, sed fuissent miraculose, & ideo non fuissent in eo solum ut in principio passiuo quod vocat Augustinus fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam quæ non est causa generalis corruptionis in prole, ut ipsemet dicit.

7 Ad secundum dicendum q̄ purgatio de qua loquitur Damasc. nō fuit aliqua fœditas materiæ quæ nisi purgaretur causaret peccatū originale in prole, hoc enim absurdum est dicere etiā concedenti q̄ tota humana natura materialiter fuerit corrupta, quia materia quæ ministrat mater ad formationem prolis nunquam fuit de veritate matris: & ideo dato quod tota natura humana fuisset infecta, nihil tamen infectionis esset propter hoc in tali materia, vocat ergo Dam. purgationē non emundationē à fœditate quæ inerat, sed preservationem ab ea quæ inesse poterat scilicet culpa actuali. Ex tunc enim beata Virgo peccare non potuit mortaliter nec venialiter.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum peccatum originale sit in essentia animæ tanquam in subiecto, an in potentia.

Tho. 1. 2. q. 87. ar. 1. q. 2.

TERTIO queritur in quo tanquam in subiecto sit peccatum originale, verum in essentia animæ an in potentia. Et videtur quod in essentia, quia peccatum originale dicitur peccatum naturæ, sed natura per prius dicitur de essentia quam de potentia, ergo &c.

2 Itē originale traducitur in vnoquoque ex vnione aīæ ad corpus ut dictū est prius, sed anima immediatius vnitur corpori per essentiam quam per potentiam, ergo &c.

3 **IN CONTRARIUM** est, quia illud quod inclinatur ad actū immediatius respicit potentiam q̄ essentiam, sed peccatum originale inclinatur ad actū. Ex hoc enim sensus & cogitatio hominis prona est in malū ab adolescentia ut dicitur Gen. 8. ergo &c.

4 **RESPONSIO.** In quo sit peccatū originale tanquam in subiecto accipiendum est ex consideratione eius quod sit. non est autē aliud peccatum originale nisi carentia iustitiæ originalis debita haberi modo quo fuit prius expositum, & hæc carentia est in vnoquoque in eodem subiecto in quo fuisse iustitia originalis, habitus enim & priuatio habet fieri circa idem, originalis autē iustitia sicut dictū fuit supra dist. 20. q. 5. accipitur dupliciter. Vno modo largè prout comprehendit rectitudinem volūtatīs ad Deum, & debitum ordinem seu debitā subiectionem virium sensitiuarum ad rationē. Alio modo accipitur magis strictè pro sola subiectione, & debito ordine viriū sensitiuarum ad rationē. Et hic est modus magis proprius accipiendi iustitiam originalem, ut ibidem dictum fuit.

5 Quorumcunq; autem dīctorum modorum accipitur iustitia originalis, patet q̄ ipsa non fuisset in essentia animæ sicut in subiecto, sed in volūtate vel in viribus sensitiuis, vel in vtroq; quia rectitudo est in rectificatione & ordo in ordinatis, propter quod cum secundum vtrāq; acceptionem originalis iustitiæ ipsa sit rectitudo voluntatis ad Deum, vel debitum ordo virium sensitiuarum ad rationem, vel vtrūq; simul, patet q̄ ipsa nō fuit in essentia animæ, sicut in subiecto, sed fuit in volūtate, vel in viribus sensitiuis, vel in vtrūq; & cum iustitia originalis strictè & propriè accepta fuerit debita ordinatio & subiectione virium sensitiuarum ad rationē, patet q̄ ipsa fuit in eis tanquam in subiecto, & per consequens in eisdem est eius carentia quæ est peccatum originale: si autem in ratione originalis iustitiæ includatur rectitudo volūtatīs ad deum, cum hoc fuerit principale in toto statu innocentie: quia ex tali rectitudine cetera dependebant: tunc carentia ori-

ginalis iustitiæ est principaliter in volūtate, & per consequens peccatum originale: nec tamē propter hoc in vnoquoque sunt plura peccata originalia, sed vnum: quia reatus ex vno est, & ad vnum principaliter, licet ad illud vnum multa sequantur, ut dictum est.

6 Ad primum argumentū dicendum q̄ originale dicitur peccatum naturæ, nō quia primo respiciat naturam animæ, sed quia tollit illud quod toti naturæ fuerat collatum, scilicet iustitiā originalem, quāuis ipsa nō esset principaliter in essentia animæ, sed magis in volūtate, vel in viribus sensitiuis.

7 Ad secundum dicendum quod originale contrahitur ex vnione animæ ad corpus: quia ad vnionem sequitur talis defectus, qui tamen non est in essentia animæ, sed in volūtate primo & principaliter, vel in viribus sensitiuis.

Sententia huius distinctionis. XXXII. in generali & specialiter.

Quoniam supra dictum est. Superius determinauit Magister de peccati quidditate & traductione. Hic verò determinat de eius remissione. Et diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo mouet quandam incidentem quæstionem. Secunda ibi illud quoque nō incōgruè queri solet. Prima diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo querit quæstiones circa causas & modum cōmūnis peccati originalis. Secunda ibi, præterea queri solet vtrum concupiscentia. Prima diuiditur in duas. Primo determinat remissionem peccati originalis, quantum ad animam. Secundo quantum ad carnem. Secunda ibi, solet autem queri. Sequitur illa pars circa quam mouet quæstiones circa causalitates peccati originalis. Et diuiditur in quinque partes secundum quinque quæstiones quas mouet & soluit, primo querit vnde causetur concupiscentia peccati originalis. Secundo vnde peccatum tale animæ imputetur. Tertio vtrum tale peccatum sit voluntarium. Quarto de æqualitate diuinæ iustitiæ animā infundentis. Quinto de qualitate animæ infusæ. Secunda ibi, solet etiam queri. Tertia ibi, illud etiam nō immerito. Quarta ibi, si verò queritur. Quinta ibi, aliquis queri solet. Et hæc est sententia & diuisio lectionis in generali.

2 **IN Speciali** sic procedit, & proponit primo qualiter per baptismum peccatum originale dimittitur, cum post baptismum concupiscentia maneat. Hoc ideo dicitur q̄ per baptismum concupiscentia minuitur, & regnare prohibetur, & reatus tollitur. sicut enim actualia transeunt actu, & remanent reatu, ita e contrario concupiscentia in baptismo manet actu, & transit reatu. Postea querit, vtrum caro in baptismo à fœditate purgetur. Et respondet secundum quosdam quod sic, cū ad animā & carnis purgationē ordinetur aqua baptismi: secundum alios verò fœditas carnis non purgatur, sed solum animā, imò secundum multitudinē generationis multiplicatur fœditas, ita q̄ ex maiore carnis fœditate magis originale contrahitur. Primi tamen hoc non concedunt. Postea querit vtrum originalis concupiscentiæ Deus sit causa. Et respondet quod sic, in quantum est pœna: in quantum tamē est culpa, non. Postea querit, quare peccatum imputatur animæ, cuius contradictionem vitare nō potest. Respondet quod hoc non est, quia deletatur ipsi carni ut quidam dixerunt: sed ex peccato primi parentis cuius anima peccatrix carnem corruptibilem fecit. Postea querit, vtrum peccatum originale sit voluntarium, an necessarium: & respondet quod est necessarium, quia vitari nō potest, & etiā voluntarium, quia à volūtate primi hominis processit, & contractum est. Postea querit quare Deus animam carni infudit. Et respondet q̄ hoc est ut saluetur institutio humane propagationis. Postea querit, vtrum cum anima infunditur sit talis qualis à Deo creatur. Et respondet q̄ non est omnino talis, quia à Deo creatur munda, sed coniuncta carni maculam habet. Vltimo querit, vtrum animæ sint à Deo creatæ æquales. Et respondet quod in æqualitate naturalia recipiunt in creatione sicut & angeli. Et in hoc terminatur sententia lectionis, &c.